



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

LXXXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

diuersis ac pretiosis lapidibus ornata inſpexit. De qua detractis quatuor petalis, in quib. gemmæ clauſæ erant miræ magnitudinis, ineffabilem portionem ſalutaris ligni Dominicæ crucis repperit, q̄ pro ſalute humani generis ab omni populo Chriſtiano die exaltationis S. crucis in baſilica Saluatoris, quæ appellatur Cõſtantiniana, oſculari ac adorari inſtituit. Hic poſt multa, quæ in Eccleſiis DEI fecit, renouauit, ſeu contulit, vt tempore fractionis Domini corporis, Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, &c. à clero & populo decantetur inſtituit. Conſtituit etiam, vt ſcilicet diebus adnunciationis Domini, dormitionis, & natiuitatis ſanctæ DEI Genitricis Mariæ ac S. Simeonis quod hypapanti græci appellant Letania exeat à ſancto Adriano, & ad S. Mariam populus occurrat. Sepultus eſt autem hic beatus vir in baſilica B. Petri Apoſtoli 6. Idus Septemb. indiçtione 14. Tiberio Auguſto. Et ceſſauit Episcopatus menſe 1. dieb. 20.

## LXXXVII.

**I**OANNES, natione Græcus, ſedit annis 3. menſibus 2. diebus 12. Huius temporibus venit Theophylactus cubicularius Patritius & Exarchus Italiae de parte Siciliae in urbem Romam. Qui volens propriis ſubſtantiis denudare quosdã habitatores Urbis, commouit aduerſum ſe grauiffimam ſeditionem, quam Pontifex monitis ſalutaribus ſedauit, qui ſeſe medium dans portas ciuitatis clauſit, & ſacerdotes ad foſſatum, in quo vna conuenerant, miſit. Deinde verò, dum Giſulfus dux gentis Langobardorum Beneuenti cum omni ſua virtute veniret in Campaniam, incendia & prædationes multas exerceret, captiuosq; non paucos cepiſſet, & vſq; ad locum, qui horreas dicitur, foſſatum figeret, nullusq; eſſet, qui ei reſiſtere poſſet, prædictus Pontifex miſiſ ſacerdotibus cum Apoſtolicis donariis vniuerſos captiuos de eorum manibus redemit, & illum cum ſuo hoſte ad propria repedare fecit. Poſt cuius obitum ceſſauit Episcopatus menſem 1. dies 18.

## LXXXVIII.

**I**OANNES, natione Græcus, patre Platone, ſedit annis 2. menſibus 7. dieb. 17. vir eruditiffimus, & facundus eloquentia. Huius temporibus Aripertus rex Langobardorum donatione patrimonii Alpiũ Cottiarum in litteris aureis exarauit, ac iuri Romanæ Eccleſiæ reformauit, quæ per longa tempora ab eadem Langobardorum gente detinebatur. Tunc etiam Iuſtinianus Imperator à partibus  
Gaza-